

Cap. XIII. THEOPHYLACTI ARCHIEP. BVLGAR. IN MATTHAEVM

ce igitur, qui aliās insipientes & imperiti, intelligunt ea quæ oblique dicta. Vnde lau-
dans eos saluator, dicit: Omnis scribe &c. Scribas enim uocat eos, ut doctos in lege: &
licet docti essent in lege, non manserunt tamē in lege, sed docti sunt ad regnum, hoc est
Christi scientiam, & possunt proferre ea quæ ex nouo, & quæ ex ueteri. Paterfamilias
igitur diues. In ipso enim thesauri sunt sciētiae: qui noua docens, ex ueteri subiungebat
Matth. 12. testimonia, exempli gratia: Dixerat, pro otioso sermone iustificaberis: hoc enim no-
uum, deinde addidit testimonium, Ex sermonibus enim iustificaberis & condemnabe-
ris: hoc uetus. Hinc similes apostoli, qualis Paulus dicens: Imitatores mei estote, sicut
& ego Christi.

Et factum est, quum finisset Iesus parabolas has, digrederetur illinc. Et quum uenis-
set in patriam suam, docebat eos in synagoga illorum.] Has dixit parabolas, quoniam
& alias paulo post docturus erat. Transit autem, ut & alijs sua præsētia profit. Patriam
autem illius, Nazareth intellige: nam in ista educatus est. Caterum in synagoga docet
publice & libere, ne dicere postea possint, quod quædam à lege diuersa docuerit.

Ita ut stuperent, ac dicerent: Vnde huic sapientia & uirtutes: nōne hic est ille fabri fi-
lius: nōne mater eius uocatur Maria, & fratres eius Iacobus, & Ioses, & Simon, &
Iudas: & sorores eius, nōne omnes apud nos sunt: Vnde igitur huic hæc omnia: & of-
fendebant super eo.] Insipientes erāt Nazareni, existimabāt enim ignobilitatē & ob-
scuritatē in causa esse, quo minus quis deo placeat. Est enim, quod humilis homo fue-
rit Iesus, annon & deus: Quid obstaret magnū illum in miraculis fieri: Cōprobatur igi-
tur & inuidi, & insipientes. Oportebat sanē magis gloriari, quod tantum bonum patria
eorum protulerit. Fratres autem habuit dominus & sorores. Ioseph filios, quos genuit
ex uxore fratris sui Clopæ. Mortuo enim absq; liberis Clopa, Ioseph iuxta legem uxore
rem eius accepit, & pueros procreauit sex, quatuor mares, & duas fœminas. Mariam
quæ dicebatur Clopa filia secundum legem, & Salomen. Apud nos sunt, hoc est nobis
scum habitant. Offendebantur igitur & illi super Iesu. Fortassis enim & ipsi dicebant,
quod in Beelzebul eiicerent dæmonia.

Iesus autem dixit illis: Non est propheta honoris expers, nisi in patria sua, & in domo
sua. Et nō fecit illic uirtutes multas, propter incredulitatem illorum.] Vide Christum,
quomodo non iniuria eos afficit, sed mansuete fert. Solemus enim homines familiares
cōtemnere, & externos in admiratione habere. Quod autem adijcit, In domo sua: ideo
fecit, quia oderant eum & fratres sui domestici. Porro illic uirtutes multas non fecit, pro-
pter incredulitatem illorum parcens eis, ne post signa increduli manerent. Multa igitur
non fecit, pauca autem fecit: ne possent dicere, quod si ulla fecisset, credidissemus. Tu au-
tem intellige, quod & hodie Iesus in patria sua, hoc est apud Iudæos, ignominiosus est:
nos autem exteri illum ueneramur.

C A P V T X I I I I.

In illo tempore audiuit Herodes tetrarcha famam Iesu, & dixit pueris
suis: Hic est Ioannes Baptista, ipse surrexit à mortuis, & ideo uirtutes a-
gunt in illo.] Hic Herodes erat filius eius, qui pueros in Bethleem oc-
cidit. Confydera autem hic factum uitæ tyrannicæ. Ecce enim post quan-
tum tempus fama de Iesu ad Herodem peruenit, tarde illa discentem, eo
quod non curabat eos, qui uirtute conspicui erant. Apparet autem, quod Baptistam ti-
muerit, & propterea de his non alijs quàm pueris, hoc est seruis effari audet. Quoniam
autem uiuens Ioannes signum non fecerat: putauit Herodes, quod per resurrectionem
acceperit etiam hoc donum à deo, ut miracula operetur.

Herodes enim ceperat Ioannem, & uinxerat ac posuerat in carcere, propter Hero-
diadem uxorem Philippi fratris sui. Dicebat enim ei Ioannes: Nō licet tibi habere eam.
Et uolens eum occidere, metuebat turbam, propterea quod illum ceu prophetam ha-
bebant.] Narrationis huius de Ioanne in superioribus nō meminit Matthæus, eo quod
scopus illi erat, ea duntaxat scribere, quæ ad Christum spectabant. Sanē nec nunc me-
minisset

minisset eius, nisi & hoc ad Christum retulisset. Arguit autem Ioannes Herodem, ut fratris uxorem non legitime habentem. Lex enim iubebat fratris uxorem accipere post fratrem, si ille absq; liberis defungeretur: Hic autem Philippus non absq; liberis defunctus erat. Erat enim ei puella, quæ saltabat. Sunt autem quidam, qui dicunt, quod etiã adhuc uiuente Philippo Herodes ei abstulerit uxorem, & tetrarchiam. Siue autẽ hoc, siue illud erat, illicitum erat facinus. Non timebat autem deum, sed turbam timebat: unde distulit cædem: at diabolus opportunum tempus sibi inuenit.

Quum autem celebrarentur natalia Herodis, saltabat filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi. Vnde cum iureiurando pollicitus est se illi daturum quicquid peteret. At illa prius instructa à matre sua: Da mihi (inquit) hic in patina caput Ioannis Baptistæ. Vide luxum. Regina saltat, & quanto pulchrius saltauit, tanto peius. Turpitudine enim regis facere aliquid indecorum. Considera autem aliam insipientiam Herodis. Iurauit quicquid peteret daturum se. Quod si caput tuum petisset, dedisses ne illud? Da mihi (inquit) hic caput Ioannis. Quare apposuit, hic? Timebat, ne forte Herodes resipiscens postea poenitudine duceretur: propterea urget, dicens: Da mihi hic.

Et indoluit rex: attamen propter iusiurandum, & accumbentes iussit dari. & quum misisset carnifices, amputauit caput Ioannis in carcere, & allatũ est caput eius in patina, & datũ puellæ, atq; illa obtulit matri suæ. Et accesserunt discipuli eius, & tulerunt corpus, ac sepelierunt illud. Indoluit propter uirtutẽ. Admiratur enim uirtutem & hostis, attamen propter iusiurandum dat donum inhumanum. Discamus autem hoc loco esse aliquando melius peierare, quàm propter iuramentum impiũ aliquid facere. Sepultũ autem est corpus Baptistæ in Sebaste Cæsarea. Venerabile autem eius caput, primum in Emesan repositum fuit.

Abieruntq; & renunciauerunt Iesu. Quid annũciat Iesu? non quod mortuus esset Ioannes, nã id fama statim attulerat: sed qd Herodes de Iesu diceret, quod Ioannes esset.

Id quum audisset Iesus, secessit illinc in nauĩ ad desertum locum seorsim. Secedit Iesus propter Herodis homicidium. docens nos ne obijciamus nos ipsos temere in pericula: & interim ne uideatur iuxta apparentiam tantum incarnatus, propterea secedit. Si em tenuisset eum Herodes, conatus fuisset illum occidere. Et si conante hoc Herode Iesus seipsum è medijs periculis eripuisset, eo quod nondum instabat tempus mortis, habitus fuisset phantasma esse, & eapropter secedit. In desertum autem locum seorsim, ut miraculum illud de panibus operaretur.

Et quum audissent turbæ, sequutæ sunt eũ itinere pedestri relictis urbibus. Et egresus Iesus uidit multam turbam, & miseratus illam, & sanauit infirmos illorum. Fide indicant turbæ, unde & ad secedentem accurrunt, & ideo sanitatem, fidei mercedem de portat: sed & quod pedestri itinere incedũt, & quod absq; cibis ueniũt, fidei signa sunt.

Facta aut uespera, accesserunt ad eum discipuli ipsius, dicentes: Desertus est locus, & horaiam præterijt, dimitte turbas, ut abeant in uicos, & emant sibi cibaria. At illis dixit Iesus: Non est illis necesse, ut abeant, date illis uos quod edant. Misericordes sunt discipuli. Curam enim gerunt turbæ, & propterea nolunt eam ieiunam esse. Quid igitur saluator? Date uos illis quod edant. Hoc autẽ dicit, non tanquàm ignorans, in quantâ apostoli egestate essent: sed ut dicentibus illis, se non habere quod edant, appareat ipsum non inanis gloriæ studio, sed necessitate ad operandum miraculum procedere.

At illi dicũt ei: Non habemus hic, nisi quinq; panes, & duos pisces. Ille uero dixit: Aferte mihi eos huc. Et iussit turbas, ut discumberet super gramina, sumptisq; quinq; panibus, ac duobus piscibus, ac sublatis in cœlũ oculis, benedixit. Nam licet uespera sit, sed temporum ego conditor assum: licet desertus locus sit, ego tamẽ sum, qui omni carni escam do. Discamus autem hoc loco, quod etiã pauca quæ habemus, in hospitalitatem infumere debemus. Etenim apostoli pauca habentes, dederunt turbis: & quemadmodum pauca hæc multiplicauit, ita & tua pauca multiplicabuntur. Facit autẽ turbas super gramina cõsidere, ne & tu in preciosis lectis & stratis recumbas. Porro suspicit in cœlum, & benedicit panes: fortassis, ut maior fides ei habeatur, quod nõ sit con-

trarius deo, sed coelitus & à patre uenerit. Docet quoq; ut & nos mensam accedentes, primum gratias agamus, & sic comedamus.

Et quum fregisset, dedit discipulis panes: discipuli uero turbis. Et comederunt omnes, & saturati sunt: & sustulerunt quod superfuerat de fragmētis, duodecim cophīnos ple nos. Porro qui comederant, fuere uiri fermè quinquies mille, prater mulieres ac pue ros.] Discipulis dat panes, ut in memoria semper habeant miraculum, & ne effluat à cognatione eorum, tametsi illi semper obliuiscerentur. Ne autem opineris, quod appa renter tantum miracula fecerit, multiplicantur usq; ad impletionem duodecim cophīno rum panes, ut & Iudas portet, & ad prodendum non sit perucax, miraculum secum co gitans. Panes autem multiplicat & pisces: ut ostendat, quod ipse sit qui terram & mare condiderit, & omnes cibi nostri ab ipso nobis dentur, & per ipsum multiplicentur. Cæ terum in deserto sit miraculum, ne quis opinetur è ciuitate uicina emptos panes, multi tudini que distributos: desertum enim erat. Et hoc quidem secundum historiam. Iuxta anagogen autē disce. Postquàm Herodes, hoc est carnalis & pellicia mens Iudæorū (ita enim Herodes sonat) decollauit Ioannē prophetarum caput, hoc est de Christo prædī centibus non credidit: secessit Iesus in desertum locum, ad gentes deo destitutas, & sa nauit infirmas animas, & deinde pauit eas. Nam nisi remiserit nobis peccata, & sana uerit morbos per baptismum, nō pascet nos communione impollutorum mysteriorū. Nullus enim non baptizatus cōmunicat. Iam quinq; millia signant eos, quorum quinq; que sensus male affecti erant, qui & per quinq; panes curantur. Enimvero quia quinq; sensus infirmabantur, quot plagæ erant, tot erāt & emplastra. Duo uero pisces, piscato rū sermones. Vnus piscis Euāgeliū, alius piscis Apostolus. Quidā quinq; panes, quinq; que libros Moisi intellexerunt, Genesin, Exodum, Leuiticum, Numeros, Deuterono mium. Duodecim autem cophīni fuerunt sublati ab apostolis, & portati. Quacunque enim nōs turbæ comedere & intelligere non potuimus, eorum apostoli capaces porta runt. Excepit autem mulieres ac paruulos. Exigitur enim à Christiano, ne quid puerile uel muliebri præ se ferat.

Et statim coëgit Iesus discipulos suos intrare in nauim, & præcedere se in ulteriorem ripam, donec dimississet turbas.] Ut significaret quàm indiuisi essent à domino disci puli, dixit, coëgit: semper enim ei adesse uolebant. Dimittit autem turbas, uolens ipsas subsequi, ne arrogantia studiosus uideretur.

Et dimissis turbis, ascendit in montem ad orandum seorsim. Quum autem aduenisset uespera, solus erat illic. Cæterum nauis iam in medio maris erat, & afflictabatur à flu ctibus: nam uentus erat aduersus.] Ostendens nobis, quod oporteat absq; distractio ne mentis precari, in montem ascendit. Omnia enim propter nos facit. Neq; enim ipse precibus opus habet. Vespera autem precatur: docens quod nos non statim ab oratio nibus discedere debeamus, sed & nocte potissimum illis uacare: tūc enim maior quies. Permittit autem discipulos in tempestate: quo discant tentationes ferre fortiter, suamq; agnoscant uirtutem. In medio autem maris nauigium, signat maiorem esse timorem.

Quarta autē noctis uigilia abiit ad illos Iesus, ambulans super mare: & ubi uidissent eum discipuli super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: Spectrum est, ac præ me tu exclamauerunt: sed statim loquutus est illis, dicens: Fidite, ego sum, ne terramini.] Non mox astitit eis, ut tempestatē sedaret: docens nō statim petendā aduersitatum solu tionem, sed ferendas fortiter, at circa quartam uigiliam. In quatuor enim partes noctem diuidunt custodes, iuxta militarem disciplinā, singulis per tres horas suā seruantibus cu stodiam. Dominus autem post nonam horam noctis ambulans supra aquam, tanquàm deus astitit. Illi autem rem tam raram ac insolitam spectātes, putabant spectrū esse. Neq; enim à specie ipsum cognoscebant, partim propter noctem, partim propter metum. Ille autem animans illos, primum eis dixit: Ego sum qui omnia possum, fidite.

Respondens autem illi Petrus, dixit: Domine, si tu es, iubeo me uenire ad te super aquas.] Feruentissima Petri erga Christum charitas erat: desiderabat enim statim pro pe illum esse, & præ alijs. Credit autem quod Iesus nō solū ipse ambularet super aquas, sed

sed & sibi daturus esset hoc. Nō dixit autem, lube me ire: sed, ad te ire. Nam illud ostentationis est, hoc autem amoris in Christum.

Iesus autem dixit: Veni. Et quum descēdisset e nauī Petrus, ambulabat super aquas, ut iret ad Iesum. Cæterum quum uideret uentum ualidum, territus est: & quum cœpisset demergi, clamauit, dicens: Domine, serua me.] Subtrauit dominus Petro mare, suam declarans uirtutem. Attende, quod in maiori periculo existens, mari uentus turba to timuit: ita infirma est humana natura. & statim ut timuit, cœpit submergi: quādo eū fides infirma est, tunc in profunda descendit Petrus. Hoc autē fecit, ne ille superbiret, & alios solaret discipulos: forte enim inuiderūt. sed & Christus quātū ipsum amet, ostēdit.

Confestim autem Iesus extenta manu, apprehendit eum, & dixit illi: Paruæ fidei, ad quid formidasti? Et ingressis illis in nauim, conquieuit uentus. Porro qui in nauī erant, acceperunt ad eū, & adorauerūt dicentes: Vere dei filius es.] Ostendens Christus nō uentum, sed pusillanimitatem submergendi causam esse: non uentum increpat, sed Petrum pusillanimitatem. Ideo & apprehensum eum, statuit super aquam permissio uento stare. Nō omnino autem dubitabat Petrus, sed secūdum quid, hoc est ex parte: nam iuxta id quod dubitauit, incredulus fuit: iuxta id autem quod clamauit, Domine, serua me: curauit incredulitatem. Ideo paruæ fidei dicitur, non incredulus. Igitur qui in nauī, & ipsi metu soluti sunt. Cessauit enim uentus. Et ex his cognito Iesu, confessi sunt eius deitatem. Neque enim hominis est super mare ambulare, sed dei. Sicut & Dauid dicit: In mari uia tua, & semita tua in aquis multis. Iuxta anagogen autem, nauis terra: fluctus, uita à malis spiritibus turbata: nox, ignorantia. In quarta igitur uigilia, ad finem seculorum astitit Christus. Prima uigilia, fœdus cum Abraham: secunda, lex Moysi: tertia, prophetarum: quarta, domini aduentus. Ipse enim seruauit nos, fluctibus agitato, ueniens ad nos ita ut eū cognosceremus, & ut deum adoraremus. Vide autē & hoc, quod negationem Petri, & deinde eius conuersionem & poenitentiam præsignarūt ea quæ in mari acciderunt. Nam sicut illic dicebat confidens, Non te negabo: sic & hic, lube me uenire ad te super aquas. sicut tunc permisit negare, ita & hic permittit mergi. Hic manum ei porrexit dominus, & non permisit eum submergi: ita tunc per poenitentiam eum à profundo negationis extraxit.

Et quum traiecissent, uenerunt in terram Gennezareth. Et quum agnouissent illum uiri loci illius, emis(er)unt nuncios in totam undiq; finitimam regionem: & attulerunt illi omnes male habentes, & obsecrabant eum, ut tantum tangerent fimbriam uestimenti ipsius: & quorquot tetigerunt eum, salui facti sunt.] Gennezareni agnoscens Christum, multo tempore apud se uersantē, & ex aspectu & miraculis alacrem exhibuerūt fidem, ita ut cuperent & fimbriam cōtingere, atq; ita curati sunt. Sic & tu quoq; summam tatem uestis Christi contingito, hoc est finem incolatus tui in carne. Si enim credideris quod assumptus est, saluaberis. Vestis enim caro: fimbria autem eius, finis uitæ.

CAPUT XV.



Vnc accedūt ad Iesum Hierosolymitani, scribæ & pharisæi, dicētes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lauant manus suas, quando edunt panem.] Quamquā in omnibus locis erāt scribæ & pharisæi, magis tamen uenerabiles erant Hierosolymitani: ideo illi magis inuidebant, utpote inanis gloriæ magis appetentes. Morem autem habebant Iudæi, non comedere illotis manibus, idē ex patrum traditione. Has igitur traditiones, ut uidissent non obseruari à discipulis, putauerunt illos contemnere maiores. Nihil igitur ad hoc respondet, sed uicissim reprehendit eos.

At ille respondens, dixit eis: Quare & uos transgredimini præceptū dei propter traditionem uestram? nam deus præcepit, dicens: Honora patrem & matrem: & qui male dixerit patri aut matri, morte moriatur. uos autē dicitis: Quicunq; dixerit patri aut matri: quicquid doni à me profecturum erat, id in tuum uertitur commodum: & non honorabit, patrem suum aut matrem suam: & irritum fecistis præceptum dei propter tradi-

Exod. 20.

Deut. 5.